



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Talis erat, sic ora, manus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)



Talis erat, sic ora, manus, oculosque ferebat

Editus Hebræis regibus Amosides,

Amosides vatum princeps, interque Videntes

Quorum scripta manent, gloria prima, viros.

Quam bene si dotes animi, si munera linguæ,

Si declamantis gestum habitumque viri,

Si flammis labra tacta sacris hoc ære dedisses

Spiranti, plastes, conspicienda palam;

Quantus ab ore lepos, quam dulcis plena suadæ

Copia flexanimæ, qualis ab arte sonus,

Dum perterricrepto diuini fulmine verbi

Attonitos, blandis erigit alloquiis,

Solatúrque animos tristes in spemque reducit

Maturæ veniæ, iam meliore deo!

Quis contra stylus hiberno torrentior imbre,

Quæ vis, quod flumen diuitis ingenij,

Dum reges regumque canit crudelia facta,

Moxque secuta deo vindice supplicia?

Sed nihil in toto magis admirabile vate

Quam constans eius carminis historia,

C

Quo

Quo Christi natale Dei vitamque necemque
 Tamquam presentem prateritam ve canit,
 Quæ quia monstrari nequeunt redhibente tabella,
 Ipsius vatis sac monumenta docent.
 Qui verò mores, quæ vita, quis exitus illi,
 Quod vitæ spatium, suppliciique genus,
 Ad hos vix tenuis peruenit fama nepotes,
 Tam malè de nobis promeruistis aui:
 Quamquam aliqui ex nostris, Hieronymus, exque Pelasgis
 Qui Salamine fuit Præsul, Epiphanius,
 Tam duros monitus, tam libera verba Manassæ
 Hesechia nato displicuisse ferant,
 Atque adeò vatem terra stridente necasse,
 Corpûsque in partes dissecuisse duas.
 Quis furor, Hesechia proles indigna parente,
 Non potes à capite hoc abstinuisse manus?
 Non te canities Solymæ venerabilis vrbi,
 Non frons sæpè patris terror amorque tui,
 Non oculi celo noti, quibus alta videre
 Contigit æterni numinis arbitria,
 Non lingua hæc verborum opifex, vberissima fandi,
 Cùmque Deo alternis vocibus ausa loqui;
 Denique nil commune genus, nil sanguis eodem
 Fonte fluens, iras molliit indomitas?
 Perfectum scelus est, potiturque furore tyrannus,
 Interea vates occubat innocuus.
 Cætera vt excuses tua dicta inmania facta,
 Quæ meus ipse vetat commemorare pudor,
 Impie rex, pœnæque nouæ mirandæ repertor,
 Debuit hoc saltem non licuisse tibi.
 At ne montanæ violarent ossa volucres,
 Reliquias collis Rogelianus habet.
 Signat adhuc tumulum quercus annosa, comisque
 Sanctum frondosis umbrat opaca locum.
 Pastores umbram læti, fontemque frequentant
 Tum nullum, sed quem postea ciuit humo
 Ter tacta, Deus omnipotens, & vatis amici
 Busta salutiferis lambere iussit aquis;
 Et dixit: Siloen virtus manet alma medendi:
 Et verus vrbe sacra nunc quoque nomen habet.
 Salue sancte cinis, sacræque quiesce sub vrna,
 Dum summum indicat buccina iudicium.